



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lolium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

*At nobis pax alma veni, spicamque teneto,
profluat & pomis candidus ante sinus.*

*---Pax enim candida primum
Duxit araturos sub juga banda boves.*

Item,

*Pax aluit vires, & succos condidit uvæ,
Eunderet ut nato testa paterna merum.*

*Pace bidens vomerque vigent: ac tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.*

DIANÆ TRICLARIÆ SACRUM. CAP. XIV.

ERat & spica corona insigne atque gestamen eorum adolescentum, qui Dianæ Triclaræ sunt immolare soliti apud Patrenses, mollienda numinis indignatione, quam Menalippus atque Camarcho templo deæ turpiter violato in cives contraxere.

DE LOLIO. CAP. XV.

Triticæ coronæ gestaminive contrarium est lolium, quod quantum seges ipsa felicitatis affert, tantum hoc infelicitatis, & incommodi: secum enim invidiam, & quandam animi pravitatem trahit.

PRAVI MORES. CAP. XVI.

Morum enim corruptorum id omnino indicium est: quare Antisthenes non temere dicere solebat, absurdum esse triticum à lolio non repurgare, qui sentiret ex hoc invidos à Repub. summovendos, ut Plutarchus interpretatur: tam enim inutiles invidi sunt civitati, quam lolium est tritico; qui vero invidus est, suam ipse sibi fovet infelicitatem: quandoquidem Horatius ex Phalaridis sententia dicto sumpto,

Invidia Siculi non invenerunt tyranni

Majus tormentum, ait.

Et quod ad corruptos degeneresq; mores facit, ita Virgilianus pastor lamentatur,

Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcus,

Infelix lolium & steriles dominantur avenæ.

Idem D. Laert. in Antistheno. Epistola 2. Et in Evangelio, Inimicus supereminavit zizaniam, id est lolium, inter triticum.

DE MILIO. CAP. XVII.

Virtus ideo humano generi utilis atq; commoda, qua milium egregie pollet, efficit, ne ab hieroglyphicis expelli debeat. Nam si quis hominem, qui declinare sciat infortunia, hoc scriptura genere ostentare voluerit, apte Serpentem pinxerint milii furculo circumvolutum, anguis ipsius capite deorsum dejecto, cauda superne sita: quandoquidem ex milio panis præsumptus, incolumem sospitemq; præstat à veneno, naturæ beneficentia, quæ mortale genus remedio tam parabili, atq; omnibus obvius præmunire voluerit contra pestem adeo perniciosam. Idq; tradit Dydimus in his, quæ de re rustica scripsit.

Hominis providi symbolum.

INNUMERA. CAP. XVIII.

Sunt etiam qui spicam milii hieroglyphice pro millenario numero ponant, ac perinde pro innumereis, quia tale etiam est millenarii significatum. Neque desunt, qui numerum ipsum mille, à milio dictum vellent.

Sed potius milium à mille.

DE MODIO. CAP. XIX.

Sed ut ad onycè revertamur, modius in ea incisus est: is quid sibi velit explicemus. Sed quoniam in numis, in picturis, in sculpturis, atq; aliis antiquorum monumentis spectare est alibi modium, alibi late patentem urnulam, nonnumquam & cyathum, sæpius vero calathum, & quicquid vel humilis, vel solidiorum est corporum capax, in Serapidis capite superpositum illi enim plusimùm vasa hæc